

Regina Virginum, ora pro nobis.
Regina Sanctorum omnium, ora pro nobis.
Regina sine labe concepta, ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

v. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

GRATIAM tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus & crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

DE profundis clamavi ad te Domine, Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intuentes : in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit ?

Quia apud te propitiatio est : et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus ; speravit anima mea in Domino.

A custodiâ matutinâ usque ad noctem ; speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

v. Requiem æternam dona eis, Domine.

R. Et lux perpetua luceat eis.

v. A portâ inferi.

R. Erue, Domine, animas eorum.

v. Requiescant in pace. R. Amen.

v. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.